

PRAEFATIO

AD AUGUSTISSIMUM, SERENISSIMUMQUE IACOBUM MAGNAE BRITANNIAE REGEM.

P1_1 v.1 Querna corona Jovi datur olim, laurea Phoebo,
 2 myrtea dulce caput Cypridis umbra tegit ;
 3 spicea sed Cererem cingunt, hederacea Bacchum
 4 sarta, decus veteres, sic tribuere deis
 5 pro meritis cuicumque suum ; nec debita facto
 6 siqua erat, auctori gratia parca fuit.
 7 Caelestes pius hinc mortalibus error honores
 8 indulisit, memor et numina fecit amor.
 9 Humano generi gratis neque profuit ullus
 10 Orbe novo, Graiis si sit habenda fides.
 11 Quales ergo tibi, rex maxime, solvet honores
 12 gens Britonum, nunc orbe renata suo ?
 13 Quam tua restituit prudentia caelitus orta,
 14 servavitque dolo cum ruitura foret.
 15 Pars ego tam magni populi levis, hoc tibi struxi
 16 laudis opus, cecinit quod pia musa mihi ;
 17 ultima quod maneat precor usque in secla superstes,
 18 hostibus officium triste, salubre tibi.

IN IESUITAS EPIGRAMMA 1

P1_2 v.1 Olim neci datis lupis Britannicis
 2 cum nuspiam pateret exteris locus
 3 astu supervenere Romani lupi,
 4 tecti cucullis, devorant impune oves
 5 nihil timentes, donec indutus pari
 6 pastor cucullo clanculum Germanicus
 7 orbem soporum suscitatur, nubem exuit,
 8 taxans luporum proprio vultu dolos.
 9 His denuo pulsus gregi accedit salus
 10 antiqua ; fraudem Roma sed supplet novam,
 11 gentique veste consona vulpes tegit
 12 furtim irruentes horridas caudis faces,
 13 vanis ferentes horridas caudis faces,
 14 queis amputatis, tertium Britannia
 15 canit triumphum ; numquid haec ultra potest
 16 pullo Latinus igne, aut arte Tartarus ?

EPIGRAMMA 2

P1_3 v.1 Romani veteres tribus fuere
 2 noti nominibus satis superque,
 3 sed vix ter totidem, quaterve nosci
 4 possunt Londinia urbe Jesuitae.

EPIGRAMMA 3

P1_4 v.1 Anglus nomine Jesuita mire
 2 gaudet multiplici, novem, decemve
 3 usurpat varie, et subinde plura,
 4 sed ficta omnia, nam suum tacere
 5 verum falsiloquus cavet perite.
 6 Nunc istam mihi gratiam mereri
 7 fas sit, nomina nidere aptiora
 8 illi quot lubet, esse vel paterno
 9 Quae plus propria nemo denegabit.
 10 Desertor patriae, pudor parentum,
 11 exul, transfuga, proditor spuendus,
 12 stultorum dominus, superbientum
 13 servus, Romulea rei veredus,
 14 Hispanus jocus atque sycophanta,
 15 sermonis dubii pater, piusque
 16 mendax, tum generi haud nimis pudicus
 17 suasor femineo, cruentus, audax,
 18 bellorum institor, atque regicida.
 19 Illi haec nomina si sciam placere,
 20 mox plura adjiciam, nec est verendum
 21 ne non copia suppetat novorum.

EPIGRAMMA 4

P1_5 v.1 Quos vocat haereticis studet Anglis Roma mederi
 2 pulvere nec sancto, nec diacatholico ;
 3 Catholicos quamvis et sanctos vendicat una,
 4 pulvere sed monachi disdiadaemonico.

ALLUDENS AD IGNATI CONCLAVI IOHANNIS DUN DOCTORIS THEOLOGIAE

P1_6 v.1 Duntaxat libro Jesuitas non tamen uno
 2 duntaxat, lingua ridet at Ausonia ;
 3 Ausonia in lingua semel est "dun" syllaba prima
 4 duntaxat, primas Dun ubi taxat habet.

LIBER I

ARGUMENTUM

- P2_1 v.1 Alma Dei prior acta refert, et daemonis iras,
 2 spes sua suasore hoc falsa est a religione
 3 missa Catisbaeo, socios is convocat, et rem
 4 pulveream inducit, consultusque approbat illam
 5 Garnetus ; Faucum transmittit Belgia, coeptis
 6 qui fossis praeit. Hinc ad busta precatur Elizae
 7 flens pia Religio, caeli cui subvenit ales ;
 8 temporaque indicti sunt interrupta senatus.
 9 Littera Monteglo datur, hanc rex discutit, inde
 10 pulveris exponens, cui jussa est cautio, technam.
- P2_2 v.1 Patroni magnum cano, mirum opus omnipotentis,
 2 dulce, salutiferum, quantum non praestitit olim
 3 cum fudit exulibus mare pronosque obruit hostes ;
 4 quantum non Solymae infestas cum dispulit uno
 5 ingentes acies ictu super astra triumphans.
 6 Hoc solo minus esse juvat, cui maxima cedunt ;
 7 scilicet unigenae charo cum sanguine fuso,
 8 et victa sibi morte Deus revocaverat orbem.
 9 Tu tua celsa mihi, ter maxime, facta canenti
 10 adde animum, mentique aciem ; de pectore curas
 11 pelle graves, oculisque objectas discute nubes.
 12 Inferni reserem intrepidus scelera alta tyranni
 13 in terram immeritam, atque tuam : nova dira nefanda,
 14 horrida "divini sub cultus nomine coepta".
 15 O miseram, o nullam prope, magna Britannia, gentem
 16 ni respexisset pater optimus, atque ruenti
 17 divinum auxilium nullo metuente tulisset.
 18 Illius aeterno celebremus carmine munus,
 19 omnis posteritas memori quod mente revolvat.
 20 Humani generis vetus et non flexilis hostis,
 21 umbrarum dominus, summi semperque colendi
 22 Numinis invisor, jucundae lucis et osor,
 23 versutus, vanus, nulli non fomes et actor
 24 dissidio (multum fletae post funus Elizae
 25 pacifico tandem sceptro cedente monarchae
 26 jure suo) ut primum firmatas undique vidit
 27 res Britonum dubias, oleaque per omnia pacem
 28 ire coronatam, templis accrescere sacros
 29 cultus, laetitiam silvis resonare decusque,
 30 multiplici pompa replere palatia et urbes ;
 31 nil prodesse dolos, sancto se sternere regi
 32 nequidquam insidias ; ultro jam ponere suetas
 33 Hesperios iras, sociasque extendere dextras ;
 34 nunc et Hibernorum requiescere conscia tela,
 35 nullum adeo superesse locum crepitantibus armis,
 36 seu tacitae fraudi ; sensit mox Tartareus vim
 37 caelestem, nec enim sine numine talia fiunt,
 38 impius ergo tremat, simul et fremit ore canino
 39 diras eructans, et caelum voce lacessit.
 40 "Nec mihi fas," ait, "eo superi, nec denique cordi est

41 aurea stelliferi tolli ad laquearia caeli
 42 lucentesque domos, vobis sublimia habete.
 43 Imperium terrestre, et nigri jura profundi
 44 nolite invidisse mihi, nec numina vestra
 45 immiscete meis rebus, lucemve tenebris.
 46 Nonne odium regina meum matura sepulchro
 47 condidit illaesum corpus, celebrata trophaeis
 48 magnificae pacis populo post fata relictæ
 49 multum dilecto, multo dilectior ipsa ?
 50 Quidque mihi toties mors exoptata deinde
 51 profuerit defunctæ hostis ? Novus ecce superstes
 52 imminet huic capiti infestus magis, atque tremendus,
 53 quo magis instructus mentem est caelestibus armis.
 54 Vestrum opus, o superi, vestrum est hoc omne, nec intra
 55 tanta cadunt animi humani miracula vires.
 56 Heu quantas frustra fabricas admovimus ? Haerent,
 57 semper et haerebunt vestro sub tegmine tuti
 58 Numen qui norunt misere lenire precando.
 59 Divorum ergo mihi merito est invisæ potestas,
 60 Lux odio et caelum est, et pulchri quicquid uterque
 61 sustinet axe polus." Verbis nec supplicat ultra
 62 impurus daemon, celeri ferit astra boatu,
 63 ingentesque globos tenebrarum montibus æquos
 64 aerata jaculare manu, tegere aethera nube,
 65 et quantum ex ira potuit confundere mundum.
 66 Formas mille subit monstrosas, mille Chimaeras
 67 insano simulat vultu, nunc tortilis anguis
 68 reptat, nunc sursum volitat draco, mox fremit ursus,
 69 Tartara mox lupus impensis ululatibus urget,
 70 taurus et horrendum mugit modo cornua vibrans,
 71 trux modo frendet aper. Species tunc undique miscet
 72 immanes. Quicquid truculenti est arte nefanda
 73 ut sibi concivit pallentes territat umbras,
 74 sed fesso immodicus simul aestus corde quievit.
 75 Ecce cucullatus reliquis audentior ipsum
 76 Alloquitur daemon : "Ne te, supreme patrone,
 77 Romanae causae plus æquo cura ruentis
 78 tangat. Quid populo si res modo tota patescit
 79 Lutheri invidia ? Mitra nil notius ? Esto ;
 80 paucorum manibus patrari magna solebant,
 81 et nisi mens laeva est, etiam nunc maxima possunt.
 82 Se Britones tutos maris intra moenia jactant,
 83 et procul irradient Romana tonitrua, fulmen
 84 attamen invita cogentur voce fateri.
 85 Sunt, pater, addictæ summis conventibus aedes
 86 antiquæ, quas rex proceresque subire statuto
 87 assensere die, et melioris portio plebis,
 88 has simul impletæ sunt uno dirue flatu.
 89 Sulphureus tibi pulvis adest, ignisque sepultus :
 90 inventum hoc nostrum est, talesque creatur in usus."
 91 Consilium inferno placet, autorisque coronat
 92 cupresso rasum caput, omine laetus uterque est.
 93 Compertum esse duas jamdudum est religiones.
 94 Altera de caelo in terras descendit, amica
 95 pacis, inops cultus, humilis, tamen ore decoro,
 96 constantique animo et vultu : comes assidet illi
 97 ingenuus Metus, et Spes usque erecta, futurae
 98 laetitiae praesaga, et semper conscia veri.

99 Lusca sed ex caecis auri est emissa fodinis
 100 altera, celsa, minax, presso insidiosave fastu,
 101 expers nativi decoris, fuco sibi formam
 102 concilians, variis vanisque ornata lapillis.
 103 Servilis sequitur Pavor hanc, incertaque gressus
 104 ebria Spes, audax tamen. Alti in vertice montis
 105 splendescit speciosa domus, distinctaque pictis
 106 turribus ; exterius quamvis venerabilis, intus
 107 horrida spectanti est. Stant mille et mille deorum
 108 postibus effigies referentes ora ferarum,
 109 Daemonaque, et quicquid pavor atque insania finxit.
 110 Dimidium haud capiunt centum capitolia, centum
 111 vix fando aequabunt tonsores, totve cuculli.
 112 Appositam diris altaribus Iphianassam
 113 cernere erit misere flentem, patrisque vocantem
 114 nequicquam auxilium : solus licet imperet, astus
 115 praevalet irati vatis, cadit hostia ventis,
 116 quos placat, toto sed vix ita sanguine vatem.
 117 Heu quantum sceleris peragis, quantum invehis orbi,
 118 impia religio ? Sed et haec levia esse fatemur
 119 ludicraque, improbitas primo quae prodidit aevo,
 120 Nostra praeut nova quae fert, atque instructior aetas
 121 quodcumque in facinus. Natos occidere reges,
 122 jamque uno triplicem pervertere flamine gentem
 123 suave et honorificum est : vae vae tibi, turbida Roma,
 124 dedecus imperii, atque animorum pervaga pestis.
 125 Vestibuli ad laevum patet ingens porticus, auro
 126 argentoque insignitis suspensa columnis :
 127 turgit imaginibus locus, expressisque resurgunt
 128 Pontifices triplo diademate, vesteque picta
 129 a Bonifacio, duce quo nova Roma triumphat.
 130 Sanctorum necnon statuis, stultisque tumescit
 131 reliquiis, quales in risum aut vertere possunt
 132 totum te, Heraclite, in fletum aut fundere totum.
 133 Hic se delectat, multum hic dea lusca moratur,
 134 hic Erebi rex aggreditur sua dira precantem
 135 Teutonicae fidei, Batavisque, piisque Britannis.
 136 Tartareum ut vidit, cupide mox applicat ejus
 137 dicto aurem, exponit Stygius de pulvere totam
 138 ordine rem : coeptis tam tetris esse colore
 139 multo opus. Ornata mittat spem poscit, ut urat
 140 voce Catisbaeum, caedisque incendat amore :
 141 stare animo in patriam averso, rerumque novarum
 142 imprimis avido ; Grantam illi, aptumque Rucodem
 143 omnibus in rebus sociosque paresque futuros.
 144 Vinterum, Uritumque, et te, nequissime Perci,
 145 ex notis esse, et causae communis amicis.
 146 Illum tendandum premit, illum poscere fata.
 147 Assensum est, Spes festinat meretricia, picta,
 148 cultaque amatori conductum nobile scortum
 149 ut solet. Aede sua scelerosum sorte sinistra
 150 invenit oppressum, somni vinoque sepultum
 151 Lambethi, formosa tuas prope, Thamisis, undas.
 152 "Surge," ait, "eheu misere dormis (mi dulcis alumne),
 153 nec te Roma movet per te male prodita, per te,
 154 segnitiamque tuam ? Quod si haec aliena videntur,
 155 fortunis succurre tuis, averte ruinam
 156 luxuries quam festinat, legesque minantur.

157 Aude aliquid saltem quod spem non fallere possit,
158 scis ubi totius regni est conventus habendus,
159 idque brevi. Subtus congesto dirue gentem
160 pulvere fulmineo invisam. Sic victor abibis,
161 clarus et Ausonios inter numerabere divos."
162 Dixit, et in tenebras levis evanescit opacas
163 structis insidiis. Praecordia concutit horror
164 dura Catisbaei, surreptaque turbat imago.
165 Multa aegro volvente animo, ut lux reddita terris,
166 convocat unanimes et prodicionibus aptos,
167 quos bene cognovit, Vinterum pectore fidum
168 improbo, et Uritum. Solito sed tardior ipsis
169 congressis tandem trepidante supervenit oestro
170 Percio, et "Quid," ait, "semper loquimur, sodales,
171 nil agimus ? Regem interimi numquid juvat ipsum ? "
172 En vobis hic certa manus. Sic excipit illum
173 ore Catisbaeus blaeso, tamen ad mala prompto :
174 "Jamdudum hoc agimus, Perci, nobis ut agamus
175 dignum aliquid, factis praeceant sed verba necesse est,
176 cernendis veluti debentur lumina rebus.
177 Perdere tam multa sibi prole superstite regem,
178 res non digna satis tanta fortissime dextra est,
179 ad majora tibi vigeat dum provocat usus.
180 Ingens coeptum animus mi parturit, artis iniquae
181 non nihil argutans. Fructum sin respicis, unum est
182 quod decus antiquum templis, animisque piorum
183 oppressis requiem certo promittere possit."
184 Quicquid id est, clamant, fidis ne credere cesset
185 auribus, et paribus per cuncta pericula votis.
186 "Quandoquidem vestris sic illud mentibus," inquit,
187 "perplacitum est, paucis quod multa requirit habete.
188 Ipsum cum populo regem prolemque senatu
189 tollere consilium est simul atri pulveris ictu."
190 Horrescunt omnes dicto, sanguisque loquentis
191 deseruit vultus, communis pallor honesta
192 invitis licet, et diuturna silentia mandat.
193 Ac veluti varia cum coepta est cantio voce
194 condita ad aequales, ex illis forsitan una
195 discors vox strepitu reliquas abrumpit amaro,
196 aversata omnesque soni feritate quiescunt,
197 haud aliter siluere audito nomine tantum
198 pulveris horribili vastantis cuncta tumultu.
199 Post longam dubio sic replicat ore quietem
200 Vinterus : "Non si tellus mihi tota dehiscat,
201 omnis et inferni in memet convertitur horror,
202 abstineam si Roma vocat. Si cogat avitae
203 aurea libertas fidei, per tela, per ignes
204 ire juvat, nec magna metu consulta retracto.
205 Sed via difficilis, dumetisque obsita terret,
206 atque bonae male re cedente calumnia causae.
207 Praeterea nostrum pereunti candida turbae
208 pars conserta cadet non contemnenda, centis
209 ne nimis invidiosa etiam victoria fiat."
210 Increpat hunc primo divellens ultima verba
211 Percius : "O nimium," exclamat, "nimiumque beati,
212 religioni tot secum mala, tot morientes
213 queis auferre datur discrimina, totque ruinas.
214 Quam lubet explere hunc numerum, factoque vovere

215 tam pulchro hanc animam. Tota cum stirpe parentes
 216 sic misti intereant potius, vindicta profanis
 217 quam non contingat tam digna et nobilis, usu
 218 justitiaque omnes superans quibus imbuit aures
 219 fama meas. Nam quid magis aequum, sydera testor,
 220 nos iisdem quam caede locis ulciscier hostes,
 221 in vitas quibus et fortunas fulmina nostras
 222 mittere pro libito, nullo cohibente, solebant
 223 vi decretorum sub avarae nubibis artis ? "
 224 His liquido acclamat dictis Uritus, et effert
 225 laudibus autorem, technamque stupescere gestit
 226 sulphurei cineris : nil certius omnia turbis
 227 momento immiscere, novis seu motibus ansam
 228 posse dare, aut veterem fidei languentis honorem
 229 spem restaurandi fessis renovare Britannis.
 230 Impia sic portenta animo pietatis obumbrant.
 231 "Pergite quo properatis," ait Vinterus. " Iniquum
 232 aequum, si vobis id visum est, haud moror, ibo
 233 quos nos cumque trahunt communia fata. Recedat
 234 pectore nunc omnis pietas in memet, et omnes :
 235 dispereat quisquis facti successibus obstat.
 236 At sapiens leni primum medicamine Cous
 237 tentandos morbos docet : id si juverit, ultra
 238 nil opus est ; quod si facilis medicina fefellit,
 239 majori pugnatur, ferro in mala tanta vel igne.
 240 Si placet hunc imitemur, et advenientis Iberi
 241 oremus legati operam, si flectere possit
 242 duri in nos animum regis quos abdicat, ut jus
 243 in patria commune velit concedere terra,
 244 ac libertatem sacrorum, o Roma, tuorum.
 245 Belgarum remoratur adhuc Hispanus in oris
 246 quo propero, fidum mox conventurus Oenum,
 247 charum principibus, nostris et rebus amicis.
 248 Tentandi dubiam, si quid promittere possit,
 249 legati Hesperii mea sit provincia mentem :
 250 quae mihi pro votis si non successerit, ultra
 251 progrediamur, et extremos redeamus ad ignes."
 252 "Recte Vinterus sapit, et bene consulit," inquit
 253 Percius, "at vereor nimium ne frigida spes sit,
 254 proposito insistat tamen, haec sententia nostra est."
 255 Ista Catisbaeus nil contra, sedulus urget
 256 ut peragat Vinterus iter : tum si quid Oenus
 257 possit id in primis videat, post illa secutum
 258 castra diu Austriaco popularem sub duce Faucum
 259 conveniat, profugumque ad littora nota reducat.
 260 Caetera si nil proficiunt, et ad ultima ventum est,
 261 non fidendum operi gnarus ni accesserit artis
 262 quae praebeat fossis, et caecos dirigat ignes.
 263 "Aedes curet," ait, "prope fundamenta senatus
 264 Percius, ut quocumque vacent pretio, ipse satelles
 265 regius haud aegre proprios suadebit in usus
 266 cedere, sat numero cum sint, aulaeque propinquae.
 267 Pulvis at his nostris ampla ut sit mole paratus
 268 id mecum Uritus percaute munus obibit,
 269 unde scaphis tuto transferri singula possint."
 270 Convenit ut subeant partita negotia, natae
 271 sed jus suspicioni aliquod ne forte relinquant,
 272 commissi arcani dant juramenta tacendi

273 mutua, et uberius quo res nova credita crescat,
 274 his sacrum cenale superstitione tumentes
 275 adnectunt, et opem vanis conatibus orant.
 276 Proh pudor, et caelum spectant, ipsumque bonorum
 277 fontem, aversoremque mali, quo vindice solo
 278 plectitur omne nefas, demens audacia partem
 279 tam foedi in sceleris vocat, appellantque Jehovam
 280 non nunc ut testem, funestis sed caput ausis.
 281 His ita compositis, nigri dominator Averni
 282 de grege daemonico spatiosis eligit alis
 283 umbram, qua non est perniciosior altera, sed nec
 284 doctior humanos volitando fallere visus.
 285 Imperat huic dorso Vinterum ut tollat opaco
 286 quicquam tendit iter, propereque per aethera vectet.
 287 Nec mora, sublatis superant haud segnius Euris
 288 substratum mare, et optato potiuntur Oveno.
 289 Crescenti interea conduxit Percius aedes
 290 addictas sceleri, quod, ut omnis scrupulus absit,
 291 ore Catisbaeus sacro studet esse probatum.
 292 Ordo sacerdotum novus est qui nomen Iesus
 293 privatim usurpant, erat his Ignatius autor,
 294 Unde Ignatistae dicti melioribus annis,
 295 at nunc Ignistae, merito quod nomen ab igne
 296 pulvereo traxere sibi. Tagus aureus hydram
 297 edidit hanc, facie pulchram satis, atque decoram
 298 intuitu primo, verum si lumina cautus
 299 acrius infigas, nil turpius horridiusve
 300 infamis Lernae tulit unquam foeta veneni
 301 faex vel Avernales, Graiis fingentibus, undae.
 302 Visceribus technas haec monstra, incendia, caedes,
 303 cultra, venena, tumultus, et non justa reconduunt
 304 bella. Nec hos regio serpentes una coerces,
 305 omnes quin circumvolitent perniciosibus alis
 306 caecam in perniciem, non speratamque ruinam.
 307 Pax milvis, Jovis alitibus nam retia tendunt ;
 308 nec timidae cervae, sed dente ac ungue leoni
 309 spreto nativis nunc insidiantur in antris.
 310 Sancta cohors Stygio longe gratissima regi
 311 digna bonis docet esse viris mendacia, menti
 312 verbaque jurantem contraria cudere linguam.
 313 Heu qualis probitas, heu quam nova, quamque stupenda !
 314 Patribus haud dubie nostris incognita, simplex
 315 aetas illa fuit prior, indulgentior orbem
 316 jam pater aethereus majori lumine lustrat.
 317 Tristis in hanc pestem stabilitur pyramis olim
 318 Gallica, quae simul est sublata, Henrice, peristi,
 319 bellorum nec te clarissima fama tuorum,
 320 non armata satellitii vis, jamque propinquae
 321 viribus inconcussae acies potuere tueri
 322 unius a vili dextra, ferroque cruento.
 323 Non ita mille dolis licet insidiisque petita
 324 concidit aeterni cura ingens patris Elizae.
 325 Illa fide numquam defecit, sed cita nantes
 326 visit Iberorum turres, ac denique vicit
 327 freta piis precibus, caelique potentibus armis.
 328 Festinata proin sua classis ne cadat, illi
 329 aethera pugnabant, fretaque, aligeraque phalanges.
 330 Jamque Ignistarum, solis Garnetus at Anglis,

331 praeses agendorum jus clam determinat, ipsi
 332 quaqua affluxuris citra mare (Belgia sacrae
 333 Cresselli obsequitur, Baldini Hispania voci).
 334 Quanto annis gravior, tanto iste tenebrius doctas
 335 promptior in fraudes, arcana ac publica novit,
 336 et personata didicit pietate juventam
 337 ludere, dementesque animas anuumque senumque.
 338 Rure habitat vacuo, procul urbe, senique ministrat
 339 Pulchra domo plena et generosae femina stirpis,
 340 nec desunt homini timidae solatia vitae.
 341 Tecta Catisbaeus petit haec, quibus haud alienus
 342 excipitur, multumque patri praefatus honorem
 343 consilio arcano privatam supplicat aurem.
 344 Huic facile auriculas vulpes concedit utrasque,
 345 testibus et procul amotis compellat amanter :
 346 "Fare, age, mi fili, secure quicquid acerbi
 347 ambiguive animo nunc fluctuat, en tibi fido
 348 pectore consilium do, solamenque paternum."
 349 Ille pius statim trepide rogat, anne liceret
 350 sic punire malos, cadat ut bonus unus et alter,
 351 quos fatum immeritos scelerato sparsit acervo.
 352 "Quid in hoc," praesul ait, "si publica commoda poscunt
 353 et licet, et jubeo. Datur urbs obsessa, moretur
 354 excidiumne manu nostra positum atque paratum,
 355 si duo nostrorum, tresve, intra moenia soli
 356 permaneant ? Quos hostili subducere cladi
 357 cum non concessum est, pereant fas. Utile multis
 358 quod sit ut impediatur tenuis jactura pusillum
 359 ridiculumque foret, privatis publica praesint."
 360 Hoc sibi concesso, quo nil optatius, audax
 361 jam scelus omne Catisbaeus concredere sanctis
 362 auribus haud dubitat, neuter tamen ore rubescit.
 363 Qualis (pro pietas) vita est haec, quamque pudenda
 364 religiosorum, qui caelum et Tartara miscent ?
 365 Si sibi conducit facinus justum est, licet ipsum
 366 horreret Sículus genio cogente tyrannus.
 367 Perdere sed patriam properanti solvere faena,
 368 pro qua nemo mori metuit bonus atque fidelis,
 369 quin magis admotis suspensum impellere flammis,
 370 consiliisque juvare, hoc sancti, praesidis hoc est ?
 371 Insidiatori porro sociisque fit autor
 372 fingendi varios sensus, ut tuta loquantur,
 373 atque reservata totum confundere parte
 374 praecipit arte nova : veniam dat talibus, etsi
 375 summa salus animae premitur pretiumque futurae
 376 aeternae vitae. His arreptis proditor armis
 377 et confirmata jam pejor mente recedit.
 378 Fama sub haec Britonum, Fauco comitante, susurrat
 379 applicuisse oris Vinterum. Protinus omnes
 380 anguineo retinet quos conjuratio nexu
 381 accelerant, et laudato cum milite laetum
 382 excipiunt socium sceleris, fatique latentis.
 383 Ille fidelem animum studiumque extollit Oveni,
 384 nullam in legato spem, paci se dare totos
 385 Hesperios, rebusque suis : extrema necesse
 386 esse vel invitis tentanda, moram esse timendam
 387 magnis consiliis, inimicaque frigora flammis.
 388 Ergo Catisbaeus : "Non me praesaga fefellit

389 mens," ait, "externis plus aequo credimus, illud
390 quod prope, quod nostrum est frigescit. Ducimur umbris
391 non minus exangues, sed jam novus excitet ardor
392 languentes, pensetque moras. Res clarius ipsa
393 nunc loquitur, summi postquam sententia patris
394 hanc pia Garneti justam pronuntiat. Eccum
395 me testem, oraclum quo consultore receptum est."
396 Tanto laeti omnes autore impensius ardent
397 in facinus, coepti major fiducia surgit.
398 Faucus in hunc numerum venit, Uritique minorem
399 adjungunt fratrem, juratos attamen ambos,
400 et sacramento suscepta silentia firmant.
401 Accingunt operi se, tectos nocte ligones
402 rutraque transportant taciti per limina caeca,
403 lignea defossis et sustentacula muris.
404 Pulveris ignivomi flammam strepitumque prementis
405 momen in horrendum multa vi dolia replent,
406 dein sibi prospiciunt vino dapibusque sepultis.
407 Ingressus nec enim retro est via, ne nota crebri,
408 concursusque novi suspectos reddat. Ad usus
409 Quae faciunt Faucus parat ipse ignotus, et alter
410 nomine jam longe mutata sorte : minister
411 creditur esse tuus, Perci, simulatque peritus.
412 Impiger at nihilominus his Acheronticus addit
413 lucifugos clausis comites, qui nocte dieque
414 nunquam desistant scelerum monuisse novorum,
415 occulta lue pestiferi, immunesque figurae
416 depositis tandem generosis ensibus armos
417 expediunt, aptant manibus ruralia tela,
418 fossorumque alias despecto munere laeti
419 funguntur, fluit incomptis de crinibus imber.
420 Inter opus vario casus sermone futuros
421 exagitant : princeps, ut si conventibus absit
422 unde capi possit, vel dux, si perditur ille,
423 regia seu virgo ; procerum quibus (utile si sit)
424 parcendum ; illorumque citi sub fulminis ictum
425 cui summa imperii tradant. Dein extera pensant
426 auxilia : Hispanos nimium tardare, timenda
427 agmina Gallorum temeraria, Lutheranis
428 si Batava accedat sociali foedere classis.
429 Talia nequicquam sermone et mente volutant,
430 spemque metumque interpositi sibi somnia fingunt.
431 Interea sanctae tumulos invisit Elizae
432 religio pro more suo caelestis, et expers
433 terrenae molis, simulatos marmore vultus
434 et decus antiquum reginae inspectat amatae,
435 reginae cujus divino pectore sedit
436 insignis pietas olim, virtusque virilis.
437 Artibus ergo domi pacis clarissima facta est,
438 bellorum et fama celebrata, quod extera late
439 vis sensit, proprio sed castigata flagello.
440 Imperio terraeque potens, tumidique profundi
441 regnis auxilio sociis fuit, unde triumphis
442 claruit externis, ipsi mirabilis hosti,
443 innuba cum foret, et tantis sic una praeesset
444 femina sola viris, nusquam ut victoria pugnae
445 desereret dominos ipsa dominante Britannos.
446 Ritus sacrorum revocat veneranda vetustos,

447 pura mente Deum recolens, et simplice cultu,
448 per templa explosis nugis, fucoque Latino.
449 Hinc natae insidiae, bella hinc exorta, sed unus
450 Romanis sanctis nihil advertentibus, illam
451 texit amore suo Deus, eripuitque periclis.
452 Illius umbram obtuta, memorque notabilis aevi
453 nomen Elizaeum quod in omnia saecula sanxit,
454 vivida Religio fundit solemnia verba.
455 "Non equidem, regina, pari tua dulcis imago
456 majestate refert te, qualem vidimus olim
457 ingenti pompa populo spectante senatum
458 cum peteres, seu legatis cum doctior illis
459 iisdem mox responsa dares constantia linguis.
460 Sed vere effigians magis, ut vivacior omni
461 marmore fama tibi monumenta perennia condet,
462 qualia custodi servata Britannia debet.
463 Hic tibi posta tamen feliciter ossa quiescant,
464 magni quae tumulo genitoris funditus olim
465 eruere ut sacris fierent ludibria flammis
466 ingens sperabat furor, id nisi fata vetassent."
467 Haec nova dicentem subit indignatio, flexis
468 propterea genibus, duplicique ad sidera verso
469 lumine trinum uno numen sic ore precata est.
470 "Despice de caelo, rex o supreme, paterque
471 vere sanctorum, tenebras et viscera terrae
472 qui pernici acie penetras, motusque animorum,
473 abstrusos solus cernis, miserere tuorum ;
474 fac torpere malis nervos, consultaque eorum
475 destrue, nec regem (qui sceptrum potitur Elizae
476 magnificeque gerit) te pure animoque colentem
477 desere, seu ferrum intentat Romana tyrannis,
478 degeneremve dolum, seu gentem evertere totam
479 cogitat occulta, non sperataque ruina.
480 Nam magis atque magis numero turba improba crescit
481 jamque aliquid minuitur. At, o tu maxime custos,
482 sis vigil usque precor, Britonum tuere salutem,
483 nec grex ille tui turgens sub nomine nati,
484 cunctorum exsuperans longe malefacta suorum,
485 pestifer in vitas valeat tumulosve bonorum."
486 Haec pia vaticinans lacrimis remoratur abortis.
487 Ecce repentinus demissa in lumina fulgor
488 claros insinuat radios. Caput ergo caducum
489 paulatim relevans ardentem conspicit alis
490 sidereis juvenem, specie qui pulchrior omni
491 emicat humanus quam visus percipit, aut mens.
492 Attonitaeque favens jucunde talia fatur :
493 "Ne tu nunc ultra charum, sanctissima virgo,
494 perge malis Anglorum animum cruciari timendis.
495 Assiduae valere preces, pater optimus aurem
496 reclusit, casti vincit constantia voti.
497 De summo elapsum me conditor orbis Olympo
498 dat vigilem fatis regni, regisque Britannii."
499 Dixerat, et leviter tenues se fudit in auras.
500 Illa, die veluti sacro pulsa organa templis
501 cum resonant cantante choro, de pectore tollit
502 ingenti caeleste melos, latera alta sacelli
503 pressa gemunt, magna monumentaque saxea voce,
504 omnia donantis dum laudes enthea cantat,

505 et nullis aequanda sonis opera omnipotentis.
506 "Te templis recinam, te celsis montibus," inquit,
507 "alme pater, media urbe, inter deserta ferarum,
508 nec loca sunt tam sola quibus non inclita splendent
509 signa potestatis vestrae, vel pignus amoris."
510 Grataque tum longa serie primo orbis ab ortu
511 admiranda Dei memori de pectore promit.
512 Dum vetera enumerat, crescunt nova facta, nec unquam
513 dormiscit bonitas summi aeternique parentis.
514 Caeca etenim motu prudentia ducta superno,
515 vicini quasi praevideat jam fata diei,
516 prorogat indictum nova per consulta senatum.
517 Hinc atrum turbatur opus, mediumque relinquunt
518 diri fossores, sed mens eadem ipsa nocendi
519 indefessa manet, praeterlapsisque diebus
520 in fossas redeunt alacres, muroque minantur.
521 Praesagos ignes silici dum cuspide stringunt
522 vani fatidici, subito magnoque fragore
523 terrentur, sed res placet explorata, relictam
524 inveniunt siquidem cameram quae proxima muro est.
525 Illam conducunt, illuc vim sulphuris omnem
526 trajiciunt, miscent cum pulvere ferramenta,
527 Et super impositis lignis, carboneque multo
528 aggestisque cadis zythi cellaria fingunt.
529 Exigitur nullis opus observantibus, omnis
530 tuta loco spes est studiis fatalibus apto.
531 Jamque tremendi ictus momentum triste propinquat,
532 et votis spatium breve tantum immanibus obstat,
533 cum celebris nova conventus suspensio plures
534 delati in lunas (monitu illam rege jubente
535 non sine divino) securos opprimit, et spes
536 illusas veluti suavissima somnia grandi
537 turbinis abruptit stridore. Huc ergo redacti
538 consiliis habitis privatos quisque recessus
539 divisi repetunt : suspectos se fore junctos
540 credebant siquidem, et solis opus esse tenebris.
541 Sic ubi munita conclusi nave feruntur
542 ausis terribiles magis ingenioque nocivo
543 quam tumidi numero piratae per vada noctu,
544 oppidulum nulla pensata fraude quietum
545 oppressuri, Euris adversis saepe repulsi
546 spe praedae toties redeunt, totiesque recedunt
547 sublatis ventis, metuentes denique lucis
548 indicium sese subducunt, et procul abdunt,
549 donec tempestas spoliis matura recurrit,
550 haud secus horribiles obfirmatique latrones
551 funeribus nostris inhiant, tectaque repressis
552 prospiciunt flammis, sitiunt praecordia caedem.
553 Fauci praecipua est celandi primaque cura,
554 ne personatum prodat mora longa. Proinde
555 ad Belgas missus redit ut committat Oveno
556 pulveris arcanum, et Stanlaeum in crimina jungat,
557 magnas qui virtutis opes dare transfuga turpi
558 non metuit sceleri, et dominis sua jura superbis,
559 sic ut jam facti nil poenituisse juvabit.
560 Ad mare promissis hos auxiliaribus armis
561 admonet expectent ut prima incendia, turbis
562 succedantque novis, ipsisque autoribus adsint

563 mature, facilem dum se victoria praebet.
564 Garneti pariter Baldino cognita signo
565 scripta dat, ambo patres cum sint, et munere fratres.
566 Jamque pari in rabiem Romanam pectore surgunt,
567 in scelus et caedem immensam, Albionumque ruinam.
568 Nuntius ex Anglis itidem praemittitur oris
569 summo pontifici, sancti qui perferat hujus
570 famam operis, decoris pleni, meritique beati.
571 Praefixoque die Ausoniae pietatis alumni
572 quotquot erant, terra late licet, aequore et amplo
573 partiti, prece communi junctisque querelis
574 numina sollicitant sua. Libertatis avitae
575 ex his festinum reditum conatibus orant,
576 ignotis tamen et lacrimarum gurgite. Sparsim
577 vota immunda lavant, sed quae non eluet imus
578 Oceanus fluviis adjutus et imbris altis.
579 Fama duos perhibet latos multumque profundos
580 esse lacus, lacrimis miserorum utrosque dicatos.
581 Puris conspiciendus aquis stat limphidus unus,
582 floribus ad ripas toto vernantibus anno,
583 et (si fas uti) generosis viribus herbis.
584 Sidereus vigil hinc abigit mergosque, strigesque,
585 omnigenasque feras. Namque huc lacrimata piorum
586 flumina lecta ferunt superi, aligerique ministri,
587 et caste servant chari monumenta doloris.
588 Gurgite caenosus sed cernitur alter opaco,
589 serpentum genitor, tollens animalcula visu
590 horrida, mortiferis variisque referta venenis.
591 At foris exsudat monachorum aconita cucullos,
592 solanumque furens, risu et quod sternit amaro
593 Sardiniae letum, Colchorum dulceque virus.
594 Infestas lacrimas simul exprimit improba turba
595 huc raptas cogunt liventis Alastoris umbrae,
596 conduntque ut testes olim maeroris iniqui.
597 Atque ibidem nova nunc Stygius fleta aequora visens
598 tantis optantum studiis horrenda triumphat.
599 Sacrifici interea rem maturare laborant,
600 et conjurati rata nunc ad foedera plures
601 alliciunt : Vinterum annis opibusque priorem
602 fratre infelici, Grantam, unanimumque Rucodem,
603 Tressainumque agris et avita gente superbum,
604 et clarum Digbaeum equitem, Caiumque, Batumque,
605 quem modo Tesmundus nutantem, animoque cruentum
606 horrentem facinus firmaverat. Hos aliosque
607 illaqueant, et equos belloque occulta futuro
608 arma parant, loca disponunt et tempora rebus.
609 Omnia festinant, nam laetus et integer illis
610 gaudet adhuc properare dies, optatus et instat.
611 Externas quoque spes rediens confirmat abunde
612 Faucus, et incendit mercata laude furentes.
613 Jamque catervatim sopitam suscitatur urbem
614 Rhedarumque equitumque fragor, toto undique regno
615 confluit ut populus solleni more vocatus.
616 Spectandum plebi ad pompam subsellia prostant
617 consuetis erecta locis, magnoque propinquas
618 conducunt pretio meliori ex sorte fenestras.
619 Regem reginamque, et te, carissime princeps,
620 visendi fit tantus amor, dum fata sinebant,

621 crescentemque in regna ducem (si forte tenellus
622 accedat numero) nunc cernere magna lubido est.
623 Templorum decus atque fori, venerandaque regni
624 canities gravitate sua spectabilis ipsa est,
625 insignes et equis phaleratis agmine longo
626 coccineisque togis proceres incedere pulchrum.
627 Tanta sed haec, nisi prospiciat Deus, ultima nostris
628 gloria resplendens post secula multa futura est.
629 Pernicies suprema latet, quam praecipit ales
630 aethereus, jussuque Dei, cui sedulus uni
631 paret, mortales facili molimine vultus
632 induit, at quales ignota in plebe videre est,
633 servilis facies, habitusque oblonga statura.
634 Talis litterulas signatas vespere defert
635 Montegli famulo, domino mox reddat ut illas.
636 Dein se subduxit, levibusque immiscuit auris
637 perlegit has juvenis veteri qui stemmate clarus
638 cum sibi nescio quid magni promittere visae.
639 Nec tamen apparens autor, vel nuntius illis,
640 Caecilium festinus adit, cui tradita regni
641 cura, dat inque manus privatas nobile scriptum,
642 et procerum ut decet exceptus cum laude recedit.
643 Convocat eximios aliquot sibi, munera quorum
644 in commune eadem sunt, et clam providus ille
645 discutit obscurae quae sit sententia chartae.
646 Magnanimusque licet contemnere talia suevit,
647 nunc haeret, sensus turbata mente volutans
648 ambiguos, sed nequicquam. Deus abnegat illis
649 hunc tantum soli quem sceptro assignat honorem.
650 Ergo fatigati studio (ceu Delphica quondam
651 templa) adeunt thalamos majori numine regis
652 imbuti, turgens tribuit quam Graecia Phoebos.
653 Illius experto implorant ab acumine, scripto
654 oblato, auxilium lucemque huic nube remota.
655 Ponderat acceptam schedulam rex, terque quaterque
656 percurrens oculique acie mentisque beatae.
657 Consulit haec procer abstineat se charta senatu
658 primo sole, diem fore nam coeuntibus illum
659 infaustum, quos non sensuros opprimet ictus
660 terribilis, turbis haud apparentibus ullis.
661 Ac veluti recta pulvis ratione paratus
662 flammifer admotos facile mox sentiet ignes,
663 pulveream haud aliter (trutinatis ordine verbis)
664 terribili exposito fraudem rex concipit ictu.
665 Omnes cui merito applaudunt, proin acrius illuc
666 tenditur ut loca sint caute scrutanda senatus,
667 quo dolus aut pateat, lateat vel causa timoris.
668 Ast operae Cnevetus eques bene cognitus ipsi
669 praeficitur, color amissas est quaerere furto
670 reginae vestes, surrepta aulaeque regis.

LIBER II

ARGUMENTUM

- P3_1 v.1 Faucus ut opportune opera fatoque prehensus
 2 Cneveti scelus expandit, cameramque secundus
 3 persequitur liber. Excusso nova gaudia somno
 4 rex placide admittit, toto quae, luce renata,
 5 urbe calent. Studio capiendae fingit Elizae
 6 venatum multis Digbaeus cinctus amicis.
 7 Vindictam statuit populo acclamante senatus,
 8 Ignati umbra animos impellit ad arma rebelles.
 9 Conjuratorum foedantur pulvere vultus,
 10 pugna mox caesi qui sunt, captive sub umbra.
- P3_2 v.1 His vix digestis premit oras Oceani sol
 2 mane. Cui ignaro spectacula quanta parantur,
 3 quam taciti sceleris plena, et maeroris acerbi ?
 4 Sed neque prodigiosi ignes nec turbinis atri
 5 insolitus fragor ardentem terreat equorum
 6 praecipitantum animos, non fluxum aut pensile monstrum
 7 nox tenebris contenta suis, et luna vetustis
 8 sideribus, nec spectra solo dant, nec nova caelo
 9 signa, sed innocue per amica silentia vadunt.
 10 Eduntur clausis suspiria nulla sepulchris
 11 non audita strigum vox, non ignoti ululatus,
 12 tympana nulla tremunt, nec murmura maesta tubarum.
 13 Numinis offensi nondum praenuntiat iram,
 14 occultive metum portentis inamabile quidquam.
 15 Tempus erat penitus victis mortalia cura
 16 alta inspiratos traherent cum pectora somnos.
 17 Ante fores Faucus (vacua cui Percius aede
 18 omnia permisit) stat solus, et ultimus ausi
 19 tanti, parque actor. Sed enim quid mentis habere
 20 impius, aut animi potuit ? Fastigia templi
 21 si dubia fors licuit pertingere luce,
 22 perdita seu tantum versus loca lumina sacra
 23 tenderet, antiquis regum veneranda sepulchris,
 24 omnia momento quae fundere sperat et audet ?
 25 Sacra profana unum est, scelus imperterritus ardet,
 26 quicquid et ingentem poterit celebrare ruinam.
 27 Hinc ibi Cnevetus cunctantem ut cernit (adesse
 28 quem vigilum stipante globo jam fata monebant)
 29 preni suspectum jubet, et numquid tegat arce
 30 quaeri. Funiculos ad sola incendia natos
 31 et quae conducunt his instrumenta scelesti
 32 vestibus expromunt rimantes. Nec mora : captus
 33 denudatusque intrepido coeptum ore fatetur,
 34 ac veluti justo turget, caelemque merenti,
 35 nec nisi non facto dolet. Horribilisque recluso
 36 fornice letiferum cumulum mirantibus addit,
 37 Faucum istic, dudum quo festinabat, adortum
 38 tota cum turba succensa mole seipsum
 39 flammis devovisse prius quam vincula ferret.
 40 Tam miro ambiguos nectit Deus ordine casus.

41 Praepositis camerae custodibus, illico vinctum
42 monstrum exsecrantes ad sacra palatia ducunt,
43 ut fit ubi fidis canibus latrantibus ursum
44 concurrente trahunt multa per compita plebe.
45 Insomnes aula proceres quid pulveris affert
46 nuntius exspectant, nova qui pandente stupefcunt
47 Cneveto, nec se retinent, quin protinus omnes
48 nocte intempesta licet haec sua gaudia vati
49 sceptrigero asportent, ceu visa insomnia somno.
50 Praecedit reliquos thalamorum munere custos
51 excelso duce prognatus, Suffolcius heros,
52 quo patriae nec erat, nec regis amantior alter,
53 impatiensque morae vix dum satis experrectum
54 inclamat dominum : "Patet omnis fraus, patet ingens
55 infandumque scelus, loca sunt suspecta senatus
56 pulvere onusta. Tenet tanti custodia furti
57 artificem. Regum o decus, o ter maxime vates,
58 te populo, populumque tibi, tria regnaque solus
59 servasti, tua nos nunquam praesagia fallunt.
60 Per te diva uxor, per te tua regia proles,
61 per te jam numenque tuum nos vivimus omnes
62 spiramusque. Tibi debetur civica laurus,
63 et capiti veris diademata lucida stellis."
64 Laetus, et ut sanctum decuit, mox lumina caelo
65 attollens sacrasque manus rex fervidus infert :
66 "Haec tua sunt, patrone Deus, tua sola fatemur
67 sunt immensa opera, at multo clementia major."
68 Liberiore dein sermone sopore fugato
69 laetitiam celebrant hanc festam, quamque quotannis
70 natos natorum semper renovare juvabit.
71 Sic tandem tenebris exhaustis quinta Novembris
72 candida lux caelo surgit, qua faustior aevo
73 non ulla exposuit radios, nec postera promet.
74 Jamque exsurgenti factis operisque diurnis
75 urbanae plebi simul horum fama notescit,
76 heu quantus stupor accessit ! Quam vivida fervent
77 gaudia ! Nec capiunt eventus saepe volutos
78 exiguae mentes, nec se satiare loquendo
79 possunt, nec satis illa sibi fecisse putando.
80 Venatum simulat Digbaeus rure frequentem
81 oblectamentum, quo nil prius, et minus ipsa
82 natura nocuum, lepore detexere gressus
83 sive lubet, celeres seu cursu evincere cervos.
84 Longe aliud Digbaeus agit, nec vultibus aegrum
85 dissimulare animum potuit, nec voce sagaces
86 pro more exhilarare canes. Stupet anxius, et se
87 neglecto suspendit equo, sibi pondus, et illi.
88 Accelerans fatum, capienda regia virgo
89 sollicitant hominem sua quem fortuna beavit.
90 Horum sed nil te metuentum, o dulcis Eliza,
91 exercet pietatis amore, virtutis et artes
92 augustae et quales debentur mollibus annis.
93 Vultu candor inest, mens candida, sideris instar
94 luce micans plena semper, sine labe vel umbra.
95 Per te aditum sperare audet scelus ? Horrida per te
96 bella cedere tubis quas dira inflabit Erinnyes ?
97 Post fratres caesos, commactatosque parentes
98 solane tu regnare potes, vel praeda coacta

99 sanguineum patrio capes ex hoste maritum ?
 100 Te dea, te leviora manent, melioraque fata,
 101 grata Palatini quondam connubia nectes,
 102 atque triumphali duce Rhenum ardebis amore
 103 visere, natorum mox felicissima mater.
 104 Perpetuusque viae comes hinc cum conjuge fida
 105 ibit Haringtonus, cujus nunc sub lare tuto
 106 flos sacer invitis praedonibus ipsa virescis,
 107 amborum pia cura, et delectabile pignus.
 108 Sed reducem sua tecta senem (sic astra minantur)
 109 haud umquam excipient, nec cernet patria tellus,
 110 Mors iter obsidio premet, affectusque seniles.
 111 Musa reflecte gradum, vocat urbs, ardensque senatus
 112 vindicta, atque odio juste execrabilis ausi.
 113 Sanctis ergo Deo votis templo ante solutis
 114 assueta ingreditur pompa rex aureus aedes
 115 e flamma ereptas, solioque insedit avito.
 116 Principibusque viris in morem utrimque locatis,
 117 surgit Elismerus, sua nude jura crepantis
 118 qui legis moderator erat, custosque sigilli,
 119 utque erat insigni gravitate verendus et ore,
 120 sic prior excelsi est pro ritu muneris orsus.
 121 "Quae mihi sunt huic apta loco meditata, reique
 122 propositae, tibi soli, o rex, praevisa repressit
 123 res nova, res major quam possit vocibus ullis
 124 aequari, mente extensa vel tota subiri.
 125 Nil aevo tale, o patres proceresque, priori
 126 auditum, haec quoque vix credent fortasse minores.
 127 Vixque sui fecere fidem licet eruta vulgi
 128 eminuere oculis sceleris documenta nefandi :
 129 quamlibet et clare monstri caput omnia profert
 130 veris insanus fari majora videtur.
 131 Certa nimis tamen his latuere pericula tectis,
 132 pernicies aderat prope, sed propior Deus, atris
 133 fulminibus fetam qui nubem luce retexit
 134 uni praemissa regi vatique Jacobo.
 135 Illi laus igitur sit, in omneque gloria seclum,
 136 huic vero ut patriae sit gratia summa parenti.
 137 Unde autem scelus hoc manat si quaeritis, alma
 138 fit rea relligio, pietas caedem atque rapinam
 139 nempe sitit : "Clemens Deus haec incendia poscit."
 140 Autores Romae servos habet, ultimus actor
 141 molem cujus erat funestam accendere munus.
 142 Solus turre nimis digna custode tenetur,
 143 Urbe latent reliqui, obscuri vel rure vagantur.
 144 Insuper olim hinc satis urgebamur et armis,
 145 substrato nunc igne : quid expectabimus ultra ?
 146 Spem regni et decus omne uno sufflamine (totus
 147 horresco referens) rutilas sparsisse per auras
 148 sperabant occulti hostes, nec parcere regi
 149 tam placido, abstinuisse suis nec denique norunt.
 150 Pulveris his ergo ruituri in fulgura tectis
 151 pondera supposuere cadis ingentia plenis
 152 nostram in perniciem, mista et ferrugine multa
 153 Aetnaeas implent latebras quo certior ictu
 154 undique securos majori strage feriret,
 155 cum capite et sacro simul omnes perderet artus.
 156 Heu quibus orba suo miseranda Britannia sole

157 plangeret in tenebris, luna, atque minoribus astris,
158 principe sublato duce, syderiisque puellis ?
159 Quis templis lumen praeberet ? Rura quis arte
160 aspera corrigerent, pacemque imponeret armis ?
161 Per fora quis lites sedaret jure paterno ?
162 Quae demum insultus externos cura caveret ?
163 Vincentis quae vis sceleris frenare furorem
164 grassantem interne poterat ? Matrumve levare
165 uxorum aut luctus quae tum solacia possent,
166 momento clades si tantaque, tamque inopina
167 contigerat media positus in pace Britannis,
168 cunctis ordinibus velut uno fulmine fuis ?
169 Sic tua, Roma, furit rabies, horrendaque proles
170 Ignati, ambiguus commisto daemone partus.
171 Quo, rex, usque feres mala tot mitissime multa ?
172 Infelix sibi quem statuet patientia finem ?
173 Jam placabilitas nocet, impunitaque crescet
174 nequitia in seram tandem nutrita ruinam.
175 Non est quod metuas labem meruisse tyranni
176 cunctos si perimit sontes nunc poena repertos.
177 Crudelis, si mitis, eris. Par opprimat aestus
178 vitio pestiferos, tua quos prudentia mire
179 avertit, superaue sinus cor luce refertum."
180 His graviter dictis, sic regius incipit ardor :
181 "Soli nostra salus summo aeternoque parenti
182 debita sit, tantis ejus clementia nullum
183 laudibus admittit socium, atque immensa potestas.
184 Effugisse sat est hostilia fulmina nobis,
185 istos ingrati nequid meditemur honores."
186 Exorsus tali pius est sermone monarcha.
187 Verborum sed enim cur haud superabile flumen
188 ingredior ? Cymbaque levi feror altus in aequor
189 immensum, celsis mox exsorbendus ab undis ?
190 Sic Phoebi puer egit equos, ita parva cicada
191 exili tonitru Jovis assimulabit hiatu.
192 Pascua nam veluti cum ver infantibus ornat
193 floribus, egelidae solvuntur in aethere nubes,
194 et placide dulces succedunt imbribus imbres,
195 nil saevi si non cogente Aquilone minantes,
196 vocibus haud aliter jucundis ora liquescunt
197 sceptriferi dicentis, et aurea flumina fundunt,
198 quae modo si fervent facere hoc invita videntur,
199 flatibus et tanquam adversis animata feruntur.
200 Ingratos prout et facili castigat abusos
201 Papicolae bonitate sua rex concitus aestu
202 fulmineo, nolensque ardet, dum saeva recenset
203 prodigia, et tribus intentata pericula regnis
204 per scelus, atque dolum, et quo nil violentius, ignem.
205 Irae non igitur reprimendae laxat habenas,
206 sopitumque diu vagina diripit ensem,
207 elata magnum dimittens voce senatum :
208 "Tempus," ait, "veteres nunc est defendere leges,
209 non reperire novas. Vindictam sumite, nostra
210 jam nihil impediet clementia, victa recessit.
211 Quilibet ergo suas sedes petat, undique sparsos
212 suppliciiis multate hostes, dignoque cruore
213 eluite hanc labem, ac terram purgate Britannam."
214 Dixit : prosequiturque abeuntem murmure laeto

215 tota cohors, lenemque vocat justumque Jacobum.
 216 Sed conspirati scelerum discussa suorum
 217 nubila cernentes, et nuda fronte patere
 218 coepta horrenda tremunt, turpes ceu Gorgones unda
 219 cum se tranquilla aspiciunt, pudor et metus urgent.
 220 Ac veluti tragico cum turget scaena cothurno,
 221 Alcidesque furens agitur, fataleque Nessi
 222 induitur donum, fumat vel cena Thyestei,
 223 spectante Althaea vel stipes luridus ardet,
 224 instruitur tristi crudelis fabula pompa,
 225 emergunt Cocyto umbrae miseranda malorum
 226 omnia ructantes, proceditque unus et alter
 227 belle actus. Lacrimis turgescere lumina tandem
 228 spectantum incipiunt extremus ut advenit horror,
 229 dum latera actores rumpunt, tanguntque coronam.
 230 Sed mox deficiunt scena seu voce silenti,
 231 explosique moram metuunt, latebrasque petiscunt.
 232 Sic ubi summa operis, messisque, et palma vocaret
 233 ad praedam conjuratos, et saeva trophaea,
 234 fornice detecto mutescunt. Obvia passim
 235 sanguineae Nemesis disclusos terret imago,
 236 credunt jam tenebris potius quam viribus ullis
 237 vitas incertas et spes. Mediaeque sub umbra
 238 noctis Lambethi coeunt, eventaque volvunt.
 239 Conqueritur primo Uritus : "Quid daemonis atri
 240 protulit occultum facinus ? Namque haud Deus," inquit,
 241 "Sanctorumve aliquis tam pulchros proderet ausus.
 242 Occidimus : spes, o socii, jam corrui ingens,
 243 et meriti decus in lacrimas vanescit et umbras.
 244 Quem portum petimus ? Votis contrarius Auster
 245 propositum turbavit iter, caelumque procellis
 246 undique crudescit, Syrtes atque aspera saxa
 247 objectans oculis, Scyllasque et mille Charybdes.
 248 Armis nulla salus, nec si fuga forte deceret
 249 tam sublime ausos quicquam prodesset. Ubique
 250 ignotus speculator adest, quotque ora tot hostes
 251 aspiciamus. Certam promittunt omnia cladem.
 252 Tardius aut citius genitum quidcumque peribit."
 253 Percius exclamat : "Liceat mortalibus esse,
 254 nec coepti nos paeniteat, nec sortis iniquae :
 255 quod nequeas mutare feras. Non omnibus unum
 256 impendet fatum, impendet tamen omnibus unum.
 257 Sic iter ingressus caelo fortasse sereno
 258 perpetuam per planitiem sterilemque viator,
 259 non illic hominum apparent, non tecta ferarum,
 260 non virgultum humilem nec dumus projicit umbram,
 261 Terra Jovi patet omnis et irascentibus Euris.
 262 Ille via laetatur adhuc radiisque benignis,
 263 Aetheris at si sit facies mutata repente,
 264 si fulmen tonitrusque fremant, premat imbribus Auster,
 265 quid faciat miser ? Inceptum num deserat ergo
 266 exanimatus iter ? Reliquum imperterritus omni
 267 conatu an peraget, feret et quae ferre necesse est ?
 268 Deficiente dolo, quidnam in considimus armis ?
 269 Virtutem exacuunt nunc ipsa pericula nostram.
 270 Bellum finis erat, quo nondum utamur adempto."
 271 Percius arma, fugam laudat Vinterus, et aptam
 272 pollicitus navem dubio praeponit honesto

273 utile, quod certam possit spondere salutem.
 274 "Quo tandem, aut ad quos fugientia tendimus," inquit,
 275 "vela ? " Catisbaeus : " Quos imploremus amicos ?
 276 Anne illos quorum vano molimine causam
 277 perdidimus ? Temere quorum violavimus aras ?
 278 Coepta peracta licet grata et speciosa fuissent
 279 nostra, infecta odium parient, spretisque pudorem.
 280 Quin aliquod demum factum edimus, imus ad arma,
 281 sic non indecores, sic non moriemur inulti."
 282 Haec fato furiali omnes : "Arma, arma ! " tumultu
 283 ingeminant, tollunt animos virtute coacta,
 284 ceu cum nulla fugae reliqua est via, nulla saluti,
 285 obvertunt cervi canibus se, in cornua surgunt,
 286 et sine spe tremulo contra luctamine tendunt.
 287 Maxima consilii vis ad nova bella cienda
 288 est data Jesuitis, eadem quos culpa profanis
 289 miscet, et ejusdem stimulat mens conscia causae.
 290 Nocte igitur praemissus eques luctum explicat omnem
 291 Garneto, extremo in casu decretaque bella.
 292 Ille metu trepidans socios arcessit, acerba
 293 praescripti degustata novitate pericli
 294 exacuens prius, obtusis mora ne quid obsesset.
 295 Convenere patres, venerabile nomine solo
 296 concilium, nam voce metum vultuque fatentur
 297 pertimidi, primis nec adhaerent proxima verba.
 298 Tandem Garneti effundit se viribus auctis,
 299 copia solliciti sed et haec quoque plena timoris.
 300 "Heu quantis nos feta malis sors obsidet," inquit,
 301 "o socii, ah metuo hinc noster jam funditus ordo
 302 ne cadat, abruptique gemat sub pondere coepti.
 303 Usque adeo indignam sapit, et quam quilibet horret
 304 barbariem, licet hoc aliam fortasse peractum
 305 indueret speciem, commutaretque colorem,
 306 quodque atrum nunc conspicitur remearet in album.
 307 Quis fidei pactae oblitus nostrique suiue,
 308 indicium dedit extrema emolitus in hora
 309 infelix animaue suae, nostraeque saluti ?
 310 Sed tam dira Deo credo molimina numquam
 311 sat placuisse, aliud prorsum clementia patris
 312 aetheri exposcit, miserorum animusque misertus.
 313 Quid memorem extinctae plusquam miranda misellae
 314 reginae effugia ? Exemplo mihi sufficit unus
 315 interpres verax nimium, nimiumque benigno
 316 afflatu adjutus, scriptum qui debile vertit
 317 nostram in perniciem, frustra quam tendimus illi.
 318 Insidias nondum natus contempsit, et ipsis
 319 in cunis magno potuit plus Hercule, binos
 320 quem manibus colubros extinguere Graecia fingit.
 321 Jupiter huic fertur pater et patronus, at illi est
 322 verus, et omnipotens, et ad omnia numine praesens."
 323 "Res magis eventis cur censes," increpat Hallus,
 324 "quam recta ratione, pater ? Divina voluntas
 325 quas acies olim instruxit bis fuderat hostis,
 326 pejores igitur tibi, contemptaeque videntur ?
 327 Pulsus et a Turcis rex Gallicus, an minor ergo
 328 causa, ut sorte fuit ? Num classica digna triumpho
 329 quae capta cecinere Rhode, aut meliora putemus,
 330 obsessos quod iniqua pios victoria sprevit ?

331 Nobis fas, nostrae non est diffidere causae."
332 Haec disceptari Gerardus tempore tali
333 Tesmundusque vetant, sibi nunc opus esse suisque
334 mox ut succurrant re, consilio, auxilioque.
335 Arma movenda premunt, nec in his mora tuta movendis.
336 Garnetus nondum quassato robore regni,
337 rege vigente, in vindictam populoque furente,
338 difficile esse armis contra contendere suadet.
339 Hallus huic haeret parti, nec convenit illis
340 inter se, variat dubias sententia mentes.
341 Ex improvise attonitis sese objicit umbra
342 Ignati, tristi aspectu, saevumque minanti ;
343 olim qualis erat, cum publica castra sequendo
344 fessus militiae valedixit, et ordinis autor
345 esse novi voluit, metuit nec nomen abuti
346 audito quo terra tremuit, quo sternitur Orcus.
347 Hisque ferus pavidos incessit vocibus ultro.
348 "Unde animis tantus labor ? Eccum Ignatius adsum
349 Loyola, patronumque ducemque agnoscite vestrum.
350 Ah pudet, o socii, vel vos Phlegetonte vomenti
351 terrores flecti, nostrum pallere nefas sit.
352 Vos pedibus regum par est capita aurea vestris
353 calcare, atque omnes rerum contemnere casus,
354 adversis etiam pandentes vela procellis.
355 Magno equidem incepto laudem meruisse fatebor
356 ingentem utcumque est voto fraudata voluntas :
357 quod lepide modo cessisset, fataleque pulvis
358 fecerat officium, sparsusque senatus in auras
359 fulmine Romano totus cum rege perisset,
360 o quantum decus hinc ? Qualis mihi fama meisque
361 jure affulsisset ? Magnum ut terroribus orbem
362 noster adimpleret cunctis mirabilis ordo !
363 Gloria sed nobis se invidit tanta, suosque
364 nectare quos aluit Spes felle fefellit alumnos.
365 Utraque nunc igitur valeat dea, spes nova vestris
366 mentibus accedat, nova gloria laeta sequetur.
367 Arma animis versate, nec his dolus exulet armis :
368 principio passim rumores spargite vanos,
369 Papicolaeque metu caedis terrete futurae ;
370 impendere illis communem fingite cladem,
371 occulte peragi rem, maturamque minari
372 vim subitam, nisi vi contra maturius itur.
373 Vocibus interea vosmet spatiosius ipsis
374 currite circumquaque, recurrite, et undique notos
375 sollicitate viros, miserisque implete querelis
376 femineum genus, immensi loca cuncta onerate
377 suspicione mali, nihil ut sit tutius armis.
378 Ipse ego Tartareosque Metus Furiasque ciebo
379 Diras, atque imis quicquid saevi abditur umbris."
380 Vix ea fatus erat, subtus cum terra dehiscens
381 pandit Avernales flammis crepitantibus undas,
382 misceturque suis Ignatius, omnia turbans
383 adventu primo. Dirarum nomina rauca
384 voce tonat, trepidosque Metus vocat, excitat omnes
385 impiger e caveis Furias, ignobilis addens
386 horribilem vulgi numero sine et ordine turbam.
387 Sic aciem instructam superas agit acer in auras,
388 ignitum quatiens dextra intentansque flagellum,

389 Tartareo spectante, suo nec paenitet ipsum
 390 cedere jam de jure pari, unum pectus utrisque est.
 391 Visa sed haec oculis spectantum excussa repente
 392 restituere solum, divulsaque Tartara claudunt.
 393 Terruit, ac merito, patres mirabile spectrum,
 394 et consternatis si non Ignatius illas
 395 firmasset, rigido mentes horrore fugasset.
 396 Omnia sed tumidis animis despecta minori
 397 jam facie apparent : Alcides maximus illis
 398 Antaeum attollens Pygmaeus cum grue certans
 399 vix foret, aut gestans lactentem simia pupum.
 400 Flumine sic atro turgent, ita sceptrata sacrata
 401 et regum elati prae se diademata temnunt,
 402 heroes nunc orbe novi, ac domini dominantum.
 403 Jamque exclusa Erebo furiarum maxima bellum
 404 quae serit, et cui regnorum discordia cordi est,
 405 flammam Jesuitis Stygiam ceu fulmen in ora
 406 conjicit, ima petit vesanus viscera fervor.
 407 Praecipitesque agitatur diversos, arma frementes,
 408 implentesque sacris sua classica dira susurris.
 409 Verum accendenti majori lampade Martem
 410 Garneto, occurrit peracuta armata securi
 411 immensaue ferox Nemesis, taboque madenti,
 412 intentamque aciem vibrans haec intonat ore :
 413 "Cur bellum concire opera contendis inani,
 414 vecors, aut fatis ultra te opponere tentas ?
 415 Plus satis admisti sceleris, tua perdita facta
 416 prodita jam poenam exposcunt quam sanguine solves,
 417 nec tua multorum marcescens vita dierum est.
 418 Externam malefidus opem, ne credulus erres,
 419 distrahit Oceanus, procul hinc tibi Roma vocanti.
 420 Quid caelum, magnis caelum si sontibus ullum est ? "
 421 Talia Vaticanata fugit velut umbra, relinquens
 422 exanimem, mortisque metu prope jam morientem
 423 at scelera his tandem lucem didicere magistris
 424 ferre, palam coeunt turbae, atque hostilia tentant.
 425 Aedes invadunt alienas, limina clausa
 426 vi penetrant, rapiunt in fortia proelia doctos
 427 sicubi equos, vetitisque trahunt de postibus arma.
 428 Illis urbani, major quos concitat ardor,
 429 assiduo socii miscentur, et undique crescunt,
 430 aequore tranquillo ceu quando inopina virescit
 431 tempestas, ruit hinc Notus, hinc ferus involat Eurus,
 432 tolluntur fluctus paulatim, nubila caelo
 433 se produnt, magis atque magis jam jamque timere
 434 incipiunt nautae sibi divitibusque carinis.
 435 Sic etiam subitis cum rura tumultibus ardent
 436 (alta quibus facilisque quies assueverat olim)
 437 quasque magis metuit plebs quam sua numina leges
 438 contemni, nihilique videt nunc esse. Furori
 439 cedere jus, ferroque geri rem. Quisque minatur
 440 naufragium sibi, se vix tectis aut sua credit.
 441 Gens ita nunc natis horret Cornavia turbis
 442 perpetuos quorum placide praeterfluit agros
 443 Dulcis Avona, ortu decursuque aemula solis.
 444 Ante alios annis gravis, ingenioque Grevillus
 445 turbida cui ceu custodi provincia cessit,
 446 rumores varios spargi, admittique rapinas

447 audit, nil magni, nil tanto at nomine dignum.
448 Vultu sed Stygiam dum vim fugat aethere ab alto
449 sidereus juvenis, subtus tremit imaque turma,
450 ceu sternuntur aves aquila volitante minores.
451 Aspicit ecce senem cunctantem, animoque futura
452 delibantem, igitur densa nube undique tectus
453 advolat, et roseis digitis simul eximit unum
454 ex illis radiis circum aurea tempora qui stant
455 perpetuum in sertum glomerantes, sideris instar.
456 Ille, viri dextrum, jubar hoc jaculatus, ocellum
457 percutit, auratisque petit summa aethera pennis.
458 Protinus horrescit caelesti percitus ictu
459 mortalis, sentit majori lumine totum
460 perfundi caput et pectus. Videt omnia multo
461 acrius, atque sapit praesentia sive futura.
462 Quos modo contempsit rumores nunc timet, ante
463 dicta audita simul trutinata lance coercens.
464 Principia haud ita magna graves portendere motus
465 aestimat interea, quos vel componere miti
466 arte parat, vel vi stimulata exstinguere saltem.
467 Cogitat ingentes quandoque exsistere flammam
468 parva ex scintilla quia sit neglecta furenti :
469 caute vel in minimis prodest vigilantia rebus.
470 Non bene custodita suae primum ergo redegit
471 arma potestati, fortes sermone bonosque
472 prudenti exacuens, quosque aut fortuna genusve
473 extulit hortatur memorans sortemque genusque.
474 At patriae cunctos communi incendit amore,
475 aspergens odio turbas probrisque rebelles :
476 excultaque adeo valuit facundia linguae
477 ut contempti hostes desertique ocius ultro
478 diffugiant, quam vis neque deses cogere posset.
479 Praetereunt celeres fecundae pascua Avonae,
480 adversisque alte nemora assurgentia ripis,
481 inque tuis fessi tandem Sabrina residunt
482 vicinis campis. Ast omnem hanc excipit una
483 colluviam privata domus, quam debilis ardor
484 nequicquam munire parat pugnaque tueri.
485 Holbechi retinet nomen locus, haud malus, hujus
486 conscius hospitii quod erat, si fama taceret.
487 Ecce autem nunquam fidus, nulloque ligandus
488 pacto Tartareus, quos sustulit ante beatos,
489 nunc odio miseros necat, atque ut inutile pondus
490 abjicit, impendentem amat accelerare ruinam.
491 Funereas igitur Dirarum immittit in aedes
492 unam, sed maestis aptam, summeque nocivam.
493 Dejectis datur illa comes, noctesque diesque
494 assidet horrorem incutiens, et tristia visa
495 praetendens, animisque aegris fastidia vitae
496 suadet, et immaturo objectat corpora leto.
497 Occultae rerum naturae gnara, trementes
498 (o sacrum artificem) venas succo imbuit atro
499 involvens tenebris mentem, pejoraque spectris
500 somnia sopitis, noctem vigilantibus infert.
501 Huic pesti infelix est Desperatio nomen,
502 illa remollitos curis quae perdit amantes,
503 dedecore afflictos, vel paupertate gravatos,
504 sive fruendarum quos cepit nausea rerum ;

505 lubrica perniciēs, tabe exitiosior omni,
506 non aliena tamen nunc, aptaque talibus hospes.
507 Vinterum fratri quem sors mutata minori
508 exaequat, cultu spoliatum reque paterna,
509 in somnis dira aggreditur praesagaque veris.
510 Territat ominibus jucundae inimica quieti.
511 Templorum erectos obeliscos aere tonantes
512 intervalla cavo obliquos, velutique ruentes
513 ostendit, sacrisque aditis (quae visus adire est)
514 horribiles vultus praefert, quos nec bene novit
515 nec prorsum ignorat. Dubie miser omnia cernens
516 conceptoque metu perfundit temporis ardor.
517 Sed nova sollicitos lux, et cita tympana somnos
518 excutiunt, subito tenues nam milite muros
519 Valseus obsedit, pulsa qui pelle sonora
520 verba interclusos ad mutua provocat hostes.
521 Tum pacem ac veniae spem desertoribus offert,
522 ignarus scelerum tantorum. At conscia turba
523 oblata irridens vim contra se ocius armat.
524 Aptant horrisona in pugnam tormenta, propinquam
525 pulvis et humescens nimium nitrosus ad ignem
526 siccatur, sed lenta foco dum ligna minister
527 suscitat, ecce manum (nulli conspecta) trementis
528 dira rapit, prunasque nigra commiscet arena.
529 Concipit haec cito flammae, et tecti (fulminis instar)
530 culmine pertuso erumpit, semustaque turpat
531 ora virum, taetra confundens omnia nocte.
532 Sed simul exclusis nidoribus alma diei
533 lux redit, horrificosque datur distinguere vultus.
534 "En hos," Vinterus clamat, "nempe hos ego vidi
535 in somnis vultus, irae heu nimis omnia vera
536 divinae ! Heu nostris quam digna incendia coeptis."
537 Ad caelum palmas atque ora immania tendunt,
538 horrendo veniam incepto pacemque precantes.
539 Dira sed hanc propere pietatem avertit, ad aures
540 tympana mille sonans placidas simulata per auras.
541 Surgit ad arma cohors, portisque patentibus exit,
542 haud vincendi spe, studio sed mortis honestae.
543 Contra contendit crudo cum milite Valseus.
544 Percius occurso primo, et cadit ictus eadem
545 glande Catisbaeus, juxtaque Uritus uterque
546 purpureas fundit animas. Sed Granta, Rocodes,
547 Vinterique ambo capti ducuntur ab hoste,
548 et Batus et Cajus. Multum nec dispare fato
549 poenas mox omnes merito cum sanguine solvunt.